

va, et in cibo viscosa, quomodocunque parata. Quo diutius vero in Albi immorantur, eo sapidioris solidiorisque carnis evadunt. *Tertii demum generis* Carasi tenuiores et latiores sunt, quam dimidii nunc dicti, similes primis sed majores et pulchri, candoris argentei, habentque pinnas parte supina rubentes, superior vero pinna cum cauda obscurius e fusco punicea est. Hi pisces in Albi nascuntur, non aliunde (ut praedicti) ingrediuntur. *Pariunt* primum Junio mense, secundo Januario, sicut et superiores, quibus temporibus etiam praecipue capiuntur. Mediocriter augentur, ut sesquilibres aliquando aut bilibres capiantur. Assari solent, et in pretio habentur. Foeminae ovis gravidae, elixae etiam in aqua ad juris fere consumptionem, vel copiose butyro ad jus sub finem adjecto, non displicuerint. Est in Frisia orientali piscis, quem *Karutz* appellant, Carpa multis partibus minor, tergo magis arcuato et gibboso. Sexies in anno parere unanimiter affirmant, qui ipsum in vivariis servant.

TAB.
XXVII. 7.
*Aldrovand.
de Piscibus
l. 5. c. 44.*

DE BALLERO ita Aldrovandus. Aristoteles Ballerum inter fluviatiles et lacustres bis meminit. Ballerus, inquit, et Cyprinus, et caeteri fere omnes, cum parturiunt, undis se intrudunt. Et alibi: Ballero et Tilloni lumbricus canis exortu innascitur, qui debilitat, cogitque ad summa stagni efferri, quae aestu intereunt. Hunc Rondeletius eum esse conjicit, qui a Lugdunensibus, et lacuum, qui in Allobrogibus sunt, accolis Bordeliere nominatur, quod littora semper sectetur et quaerat. *Bord* enim littus significat. Caeterum cur Ballerum faciat, nullum adducit argumentum, nisi quod vita

et moribus a Cyprino, quo cum nominatur ab Aristotele, non differat. Vilis est piscis. Strymonis amnis accolae vulgo *Plestyam* teste Bellonio vocant, in Macedonia ad Pischiacum lacum, ubi plurimus est, modo *Platanus*, modo *Plestyam*, modo *Platogniam*. Hollandi, apud quos cum ob copiam, tum quod per se insipidus sit, vilissimus habetur, *een Bleye*. Brama, inquit Rondeletius, tam similis est, ut parum cautis pro Bramis saepe vendatur, sed ab iis magnitudine corporis et squammarum differt et pinnarum et caudae colore. Est igitur Ballerus capite brevi, ore parvo, sine *dentibus*, sed horum loco ossa habet aspera: sine lingua, sed *palato* carnosio: Pinnas duas habet ad Branchias, duas alias in medio ventre, ab excrementi meatu unicam ad caudam usque in dorso aliam. Posteriores pinnae cum cauda rubro colore perfusae sunt, ut in Percis fluviatilibus videre est; quae in dorso est, nigricat. Linea a branchiis ad caudam curva producta est. Branchias quaternas habet, os in medio palato, ex adverso sita sunt ossa duo loco inferiore, altera parte serrata, quibus contrario occurso cum palati osse herbae atteruntur. Ventriculum parvum habet, intestina pinguedine oblita, hepares, ex albo rubescens, in quo fel viride splenem rubrum. Multis spinis abundat, frequentes *squammas* habet, rotundas et tenues. Tergus ejus nigricat, venter candicat. Oculorum pupillam Bellonius non ut in aliis nigram, sed veluti crystallinam esse asserit, iridem vero albissimam, ac tredecim squammarum ordines utrinque in lateribus habere.

*Bellon. de
Aquatil. l. 2.*

CAPVT X.

De Tinca.

TAB. XXIX.
7.
*Aldrovand.
de Piscibus
l. 5. c. 45.*

Tincam vulgatissimum ubique terrarum piscem, a solo inter veteres Ausonio memoratum, ab aliis quod nullo in pretio fuerit, neglectum, Jovius existimat. Bellonius Aristotelis ψύλανα, quem Gaza *Fullonem* vocat, Dorionis apud Athenaeum γνάφεα, id est Fullonem dici, credit: metuo ne perperam. Non tantum enim Tincae decocto, sed et aliorum

glutinosorum piscium, Ichthyocollae, Anguillae, etc. maculae eluuntur. Fullo quoque Aristoteli marinus piscis est, Tincam inter fluviatiles et Lacustres reponimus. *Maenam* non esse quod Platinae placet, vel ob ultimam hanc rationem, quia marinus est, certum est. Quid si vero, inquit Aldrovandus, Romanam vocem esse dicamus, a qua